LXXVII. e. 57

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE COLICA SPASMODICA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

ANDREAS PONTON,

EDINBURGENSIS,

Societatis Phyſicae Socius Honorarius.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

BRITISH MUSEUM
30
66
APR

Viro illuſtriſſimo,

JACOBO ANDERSON, M. D.

ARMIGERO,

Avunculo ſuo,

Qui officio Chirurgi principis ſocietatis mercatorum,

Quae commercium apud Indos Orientales exercet,

Apud Praeſidium Sancti Georgii,

Spectabili fungitur,

Propter virtutes amabiles,

Quibus praeditus eſt,

Plurimas,

Et propter morum elegantiam,

Quae eum apud omnes,

Quibus ſit notus,

Admodum venerabilem et admirabilem reddiderunt;

BRITISH MUSEUM
30
66
APR

Item,

Viro praeſtantiſſimo,

GULIELMO INGLIS,

Chirurgo Edinenſi peritiſſimo et expertiſſimo,

Coll. Reg. Chirurg. Edinen. Socio,

Ingenio, doctrina, virtutibus,

Morumque ſuavitate,

Longe lateque nobilitato,

Ob amicitiam ſtabilem in ſeſe conſtanter demonſtratam,

Et curam operamque in ſe,

Primis artis Hippocraticae elementis erudiendo, poſitas;

BRITISH MUSEUM
30
APR
66

Denique,

Viro honeſtiſſimo,

FORRESTO DEWAR,

Chirurgo Edinenſi,

Coll. Reg. Chirurg. Edinen. Praeſidi,

Virtutibus ſummis,

Urbanitateque morum inſigni,

Ornato,

Cui nemo, in arte chirurgica exercenda occupatus,

Palmam praeripere poteſt,

Propter attentionem amiciſſimam,

Qua notitiam omnium rem chirurgicam ſpectantium,

Suam conſtanter provexit,

Dum alia commoda minime neglectui habuit;

Hanc diſſertationem medicam inauguralem,

Summa obſervantia,

D. D. Cq.

ANDREAS PONTON.

Dr McCausland
with Com.ts
from his fellow Candidate
the Author

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

COLICA SPASMODICA.

CUM hic morbus plurimum moleſtiae mortalibus faceſſat, immo plurimum iis periculi frequenter inferat, utrumque ſexum omneſque aetates, temporibus diverſis, graviter exercens, aliquid, ut tentamen inaugurale, edendum conſcripturus operam ſtudiumque non alibi melius poni poſſe exiſtimavi.

DEFINITIO MORBI.

'Dolor abdominis, praecipue circa umbilicum torquens; vomitus, alvus adſtricta.'—Haec merito omnes hujuſce

morbi ſpecies numeroſas, quas recenſuerint auctores, ne colica quidem, uti appellatur, Damnoniorum excepta, comprehendere poteſt; ob hanc rationem gravem potiſſimum, quod omnes, ſine ullo diſcrimine, ab eadem cauſa proxima, poſtea explicanda, recta proficiſci videntur. Nullas vero e proprietatibus, quae ad ſpeciem Pictavienſem vel Devonienſem attinent, cum a cauſa excitante ſingulari oriatur, attingere, ſed colicam in genere tantum exequi decrevi.

HISTORIA.

Hic morbus a ſenſu ponderis et doloris abdominis in regione inteſtinorum craſſiorum incipere conſuevit. Dolor parte ſingulari raro circumſcribitur, ſed in abdomen univerſum ſub forma diſtenſionis moleſtae et dolentis diffunditur, circa umbilicum praecipue torquens, ſenſumque cruciatus ibi movens. Umbilicus, integumenta, muſculique abdominis ſpaſmodice afficiuntur, et introrſum portiunculis ſeparatis trahuntur, ſpeciem ſacci globulis pleni prae ſeſe ferentia. Haec omnia ſigna levat flatus ex ore anove emiſſus. His frequenter accedunt, ſpiritus aliqua

BRITISH MUSEUM 30 APR 66

ex

ex parte difficilis, anxietas, faciei pallor, extremorum frigus, pulſus arteriarum debiles, urina retenta, alvus dura, cardialgia, cordis palpitatio, animus demiſſus, et multa alia.

Si pyrexia una cum duritie alvi pertinace accedat, gravitatem morbi magnopere adauget.

Dolor uno in loco nonnunquam ſedet, aliquando huc illuc quoque vagatur. Modo violentiam ſuam in inferius dextrumque ventris latus exercet, modo ad regionem epigaſtricam adſcendit, prius unum, deinde alterum hypochondrium petit. Alias ſupra umbilicum, alias infra eundem urget. Modo ſubter coſtas ſpurias, modo aliquanto altius ſentitur. Nonnullos aegrotantium, circa oſſa ilii, lumbos, et dorſum invadit. Omnia haec loca, in quibuſdam, ſimul infeſtat. Interdum ſubito et inſperato, ſine ulla cauſa evidente, in homines impetum facit. Aliquando, temporibus ſtatis, accedit et decedit, aegrotum, in dies complures, ſaepe excrucians. Per colicae paroxyſmos, venter nonnunquam, dolore non inde auctо, contrectari et premi poteſt; alias, quin dolor plurimum intendatur, tangi nequit, et cutis, paroxyſmo etiam ad finem perducto, adeo irritabilis et tenera eſt, ut tactum leviſſimum quaſi cum horrore refugiat. Aliis aegrotantium

tium alvus fusa est; plerisque vero adeo adstricta, ut stercus difficillime et parcissime excernatur, et evacuatum perquam siccum durumque sit.

Ventriculus plerumque multum afficitur, unde profluunt anorexia, nausea, ructus, et materiae biliosae, acidae, viscidae, et pituitosae vomitio.

Quibusdam in casibus colicae, quibus *ileus* nomen multi auctores indere consuerunt, motus peristalticus, per totum canalis alimentarii decursum, adeo invertitur, ut ea, quae intestinis crassioribus comprehenduntur, et igitur stercus ipsum, rejiciantur. Immo, tanta tamque absoluta nonnunquam est haecce inversio, ut liquores in rectum, alvum adstrictam emolliendi, immissi, ore rursus expellantur.

Acutus dolor nonnunquam per totam spinam vagatur, et quasi domicilium inter scapulas non raro sibi delegit.

Si morbus diu manet, et saevitiem suam exercere pergit, vigilia continua aegrotum infestat, vires ei gradatim deficere incipiunt, tandemque ex toto convelluntur, omnia signa ingravescunt; et frigus extremorum magnum, sudores a mera relaxatione manantes, singultus, animi deliquium, et convulsiones ad extrema jam ventum esse testantur.

DIAG-

DIAGNOSIS.

Cum ſummi momenti ſemper ſit morbos, qui aliquid ſimilitudinis habent, a ſe invicem accurate ſecernere, ea, quae inter morbum, quem exequimur, et alios, qui eum reddunt, intercedunt, diſcrimina, ſed quam breviſſime, percurremus. Namque, niſi hoc in primis ſemper fuerit factum, cuinam medendi viae potiſſimum inſiſtere debeat, magna ex parte ignorabit medicus. Natura morbi clare detecta, curatio plerumque minime difficilis. Morbi, quibuſcum colicae ulla ſimilitudo intercedit, non multi ſunt. Eorum praecipui ſequuntur.

1. *Colica Damnoniorum.* Quanquam haec, ut ſupra poſuimus, pro ſpecie morbi, de quo diſſeritur, merito habenda eſt; tot ſibi tamen propria habet, ut operae pretium eſſe videatur, quomodo a mere ſpaſmodica diſtinguatur, monſtrare. Ab hac, quantum ad cauſam excitantem attinet, longe differt. A plumbo aliquo modo in corpus invecto conſtanter oritur. Mortales, qui in hoc metallo e fodinis eruendo, vel in eodem fundendo verſantur, qui-

ve

ve liquores, quibus particulae ejuſdem admiſcentur, bibere conſuerunt, infeſtat. Signa etiam, quae movet, a colicae ſpaſmodicae propriis diſcrepant. In aliquantum temporis, praecedit gravitatem morbi ponderis moleſtiaeve in abdomine, praecipue circa umbilicum, ſenſus. Tarde accedit dolor, primum levis, et non continuus. Gradatim gravior et fere perpetuus evadit, brachia dorſumque occupans, et, ad extremum, in paralyſin definit; quod raro aut nunquam in colica ſpaſmodica incidit.

2. *Nephritis*, &c. In hac dolor non curvaturam coli anteriorem, ſed regionem renis, tenet; non circa umbilicum torquet, ſed profundius ſedet, eodem loco circumſcriptus, vel ureteris iter ſequens et oblique veſicam verſus deſcendens. Quinetiam teſtis ejuſdem lateris retrahitur aut dolet. Crus quoque, quod ejuſdem lateris eſt, ſtupore afficitur. Deſiderium urinae reddendae frequentius, quam in colica, eſt. Quod excernitur, id plerumque pallidum eſt, modo quaſi arenam, modo quaſi ſanguinem trahens. In colica vomitio gravius urget, forſitan quod colon ventriculo magis vicinum eſt, et eum facilius, quam in nephritide, irritat. Quinetiam alvus magis adſtricta eſt. Inſuper haec ſponte, vel arte, ſoluta colica, quam nephritide, laborantibus levamini majori eſſe ſolet.

ſolet. Dolor colicae cibo ſumpto augetur; nephritidis quemlibet liquorem blandum potando, imminui conſuevit. *Hepatitidem* a colica ſatis clare ſecernunt hypochondrii dextri tenſio et dolor, dolor ad claviculam et ſummum humeri dextri, decubitus in ſiniſtrum latus difficilis, tuſſis ſicca, ſingultus. *Pleuritidem* ab eadem diſtinguunt, pyrexia ſemper ſubſtans, ictus arteriarum duri et validi, decubitus in latus moleſtus, &c. Diſcrimen vero inter colicam et *enteritidem* non ita clarum et manifeſtum eſt. Hanc vero ſubeſſe, cauſa graviſſima eſt, cur ſuſpiceris, ſi horrores et rigores ſub initium ſemet oſtenderint; ſi dolor acutus, urens, fixus aliquam canalis alimentarii partem teneat; ſi pulſus arteriarum celeres et exiles ſint, ſi vomitio aegrotantem conſtanter infeſtet vireſque ei ſubito convellantur. Non opus eſt, ut colica ab ileo ſecernatur; namque hic nihil aliud, quam gradus illius ſummus, eſſe videtur. Vomitio ſtercorea pro diagnoſtico certo minime habenda eſt. Etenim inflammationem conſtanter, ut pleriſque placuit, adeſſe haudquaquam ſignificat. Inflammationibus inteſtinorum ſubſtantibus, defuit, et, iiſdem abſentibus, adfuit. Quandocunque vero ſubeſt, motum periſtalticum ex toto inverſum morbumque gravem eſſe teſtatur.

teſtatur. Hernia nulla ejuſve effectus cum colica confundi periclitantur.

3. *Dolores hypochondriaci.* Hi colicae proprios aliquando magnopere referunt. Igitur ab his diſtinguantur neceſſe eſt. Colica autem quodvis temperamentum invadere poteſt; hypochondriaſis vero melancholico ſolo circumſcribitur. Hac conflictantibus dolor tumorque, quae quidem ſigna morbi primaria ſunt, latus ſiniſtrum occupant; colica vero latus dextrum ſaepius tenere videtur. Inſuper capitis dolor, qui in colica non accedit, hypochondriaſin comitatur, et, morbo ingraveſcente, plurimum urget, obtuſus plerumque, et aegrotum quaſi ponderis incumbentis ſenſu afficiens, *clavumque hyſtericum*, uti appellatur, magnopere referens. Praeterea urina eorum, quos hypochondriaſis vexet, tenuis et limpida eſt, et quantitate inſolita ſecernitur. Haec excretio urinae copioſior, Sydenhamio immortali judice, nunquam deeſt, et ſignum morbi perpetuum conſtituit. Urina vero, ut Sauvageſius memoriae prodit, graviore colicae paroxyſmo urgente, ſupprimitur, peniſque contractus et mole imminutus, ſine ullo voluptatis ſenſu, vel urinam reddendi cupiditate, rigeſcit. Denique in primis hypochondriaſi laborantium

viis

viis acidum valentius nunquam non dominatur, quod colica vexatis nihil omnino moleſtiae faceſſit.

SEMINIUM.

Hoc in nimia canalis alimentarii ſenſilitate et mobilitate plerumque conſiſtere, mihi perſuaſum habeo. Sequentia ut ita putem faciunt. Robuſtis, valentibus, omniquè irritabilitate carentibus, aſſidue parcit colica; dum, contra, infirmos et mobilitate nimia laborantes graviſſime infeſtat. Infantes tenelluli, qui in lucem tantum nuperrime ſuſcepti ſunt, ea, et ob exquiſitam mobilitatem haud dubie, frequenter corripiuntur. Pueros quoque, quibus non adhuc multum aetatis acceſſerit, exercere conſuevit. Mulieres, cujus cauſa manifeſta et evidens, ei magis, quam viri, patent. Vita ſedentaria, quam agunt; calor conclavium, quae tenent, nimius, victus ratio debilitans, et affectus animi, quibus praeditae ſunt, violentiores ad eam mobilitatem, unde morbus pendeat, augendam haud dubie conferunt. Praeterea, quicunque exercitationem neglectui habent, et luxuriae, deſidiae, otioque dediti ſunt, ii in primis

hoc morbo vexari ſolent. Nec quidem mirandum eſt, cum nihil tono ventriculi et inteſtinorum magis inimicum eſſe poſſit, quam vita inertia ſepulta, laboris et exercitationis, quae vires humanas refocillant et augent, expers. Mortales hoc genus ructus et inflatio, colicae feraciſſima, perquam frequenter invadunt. Quae modo poſuimus, ea ſenſilitatem canalis alimentarii nimiam pro ſeminio colicae admodum communi habendam eſſe, abunde teſtantur. Haec vero vel congenita vel acquiſita eſſe poteſt. Illud aliae familiae aliis ad morbum procliviores demonſtrare videntur. Quomodo comparari poſſit, ſupra evidenter oſtendimus.

Alterum quoque ſeminium eſt, alvus nempe tarda, ſive naturalis ſit, ſive a conſuetudine prava non alvum rite ſolutam tenendi, proficiſcatur. Canalis alimentarius nimia ſtercoris accumulatione adeo, ultra diametrum juſtam, diſtendi poteſt, ut tonum debitum amittere, et contenta, in poſterum, non rite propellere poſſe, periclitetur. Hinc nimia diſtenſio inteſtinorum duritiei alvi futurae et fere perpetuae fundamenta jacit. Si vero alvus nimis diu adſtricta maneat, non tantum ſtercus ipſum retinetur et indureſcit, ſed ſpiritus mephiticus, ex alimentis emiſſus et explicatus, non rite evacuatur. Hic igitur inteſtina irritet, et

contractiones

contractiones eorum ſpaſmodicas moveat oportet. Ex his igitur apertiſſime conſtat, alvum duram mortales ad colicam proclives efficere poſſe. Hujus exemplum luculentiſſimum in iis, qui hypochondriaſi laborant, et in ſenibus, quibus utriſque alvus dura eſt, et dolor inteſtinorum minime rarus, habemus.

Praeterea, tertium ſeminium eſt, alicujus nempe partis inteſtinorum coarctatio. Haec aliquando gradatim accedit, nullis colicae ſignis in tempus diuturnum ſtipata. Et exempla quidem non deſunt, ubi nihil incommodi, per totum vitae decurſum, ab hac cauſa fuit profectum. Interdum alios morbos, ut enteritidem male curatam, ſubſequitur. Hoc vitium, ut contenta per locum coanguſtatum difficillime tranſeant, haud dubie faciet. Hinc, noxis in corpus agentibus, non tantum dolores colicae graviſſimi, ſed inflammatio ipſa facillime oriri poteſt.

Praeter coarctationem canalis alimentarii modo poſitam, altera eſt, quam pro ſeminio colicae auctores habuerunt. Haec ſpuria merito appellari poteſt, quoniam in ea inteſtinum ipſum non revera coanguſtatur, ſed cavum ejus tantum aliquo extraneo repletur. Hoc plerumque eſt concretum tophaceum. Multa hujus exempla memoriae prodiderunt auctores diverſi. Concretum hujuſmodi ab

oſſibus

ossibus seminibusve fructuum originem nucleumve deducere consuevit, et aliquid ei postea gradatim accrescit. Magnitudinem ovi gallinacei, ut fertur, nonnunquam attigit. Dum adhuc parvum est, et non multum molis sibi comparavit, dolores modici subito invadunt, et brevi iterum decedunt. Si multum increscat, et non excernatur, dolores frequentiores et graviores evadere, et mortem tandem inferre possunt. Non parum quidem dolendum est, nulla omnino medicamenta adhuc esse nota, quae concreta hujusmodi pro certo dissolvere possunt.

Haec autem seminia morbi praecipua sunt. His substantibus, morbus multo facilius certiusque movetur. Absentibus vero, causae excitantes praeter consuetudinem potentes corpori ab omni proclivitate ad morbum prorsus immuni applicatae colicam ciere valebunt. Etenim nulla integritas roburve adversus morbum semper tutum est.

CAUSÆ EXCITANTES.

Hae variae sunt. Praecipuae vero sequuntur.

1. *Alimenta nimis liberaliter sumpta.*—Quicunque incautus

tus nimiam cibi quantitatem capiet, is imprudentiae ſuae poenas plerumque luet. Namque inteſtina praeter tonum juſtum diſtendit, et ea ſtimulo inſueto adficit, unde colica oriatur neceſſe eſt, niſi periculo ejuſdem diarrhoea tempeſtiva fuerit liberatus. Crapulam frequenter excipit colica. Hoc certius incidet, ſi, inter genio indulgendum, magnam ciborum varietatem ſumpſeris. Ventriculus enim ad molem tantam tamque diverſam rite concoquendam non ſufficit, et nimia humoris male parati, ſucco gaſtrico non ſatis obtuſi blandique redditi, et igitur aliqua ex parte forſitan revera acris, quantitas in inteſtina deſcendit, quibus, praeſertim ſi aliquid morbidae ſenſilitatis illis inſit, ſtimulo potentiſſimo erit, et motus eorundem ſpaſmodico convulſivos excitabit. Quicunque igitur colica, peſte illa graviſſima, vacare cupiet, is nimiam cibi quantitatem nimiamque varietatem, cane pejus et angue, vitet.

2. *Eadem dotibus pravis praedita.*—Quanquam alimenta debita quantitate tantum ſumuntur; ſi dotibus tamen peccant, noxae eſſe, morbumque movere poſſunt. Ad colicam progenerandam accommodantur omnia legumina, ut fabae, piſa, &c. quoniam magnam aëris fixi quantitatem comprehendunt, quae explicata inteſtinis ſtimulo non

eſſe

eſſe non poteſt. Inſuper, viribus ſucci gaſtrici difficulter parent, et igitur tarde concoquuntur. Olera, praeſertim braſſica, idem praeſtant. Eoſdem effectus edunt omnia, quae aliquid fermentationis, quae explicationi aëris fixi amiciſſima eſt, in ventriculo et inteſtinis ſubire periclitantur, qualia ſunt fructus horaei, cereviſia recens, turbida, nondum defaecata. Vinum quoque, niſi meracum et generoſum, et ad mutationes ſubeundas non proclive, in ventriculos infirmos ingeſtum magnopere nocet. Praeterea, vina ex uvis immaturis confecta, quae earum acerbitatem plane ſapiunt, qualia ſunt Rhenana et Moſellana, fontem, unde colica ſaepe profluat, plane ſuppeditant. Neminem enim latere poteſt, haec vina multis Germaniae regionibus, ubi liberius potantur, morbum frequenter inferre. Ad colicam quoque movendam faciunt omnia concoctu difficilia, ut caſeus toſtus, caro fumo indurata, ſalſamenta, &c. quoniam diu in canali alimentario manent, eumque irritant. Lac nutricis in ventriculo infantis coaceſcens eundem morbum eodemque modo progignit.

Has cauſas, quas ſupra comprehendimus, non colicam ſemper creare confitemur. Hoc praecavere poſſunt res aliae, contrariam naturam habentes, cum iis conjunctae; iiſdem

iisdem applicatis diarrhoea superveniens, vires ventriculi naturales. Sin vero, alvo adstricta, in intestinis diu retineantur genera cibi potionisque supra posita, spasmi moveri, et colica inde proficisci periclitatur.

3. *Frigus corpori admotum.* Quin hoc colicam excitare valeat, vix potest dubitari. Vir celebris Carolus Piso memoriae prodit, se, violento Borea spirante, gravibus coli doloribus semper laborasse. Morbum, quem exequimur, cuilibet corporis parti applicatum movere potest; sed hoc potissimum praestare videtur, pedibus admotum. Virum generosum optime novi, qui nunquam pedes madefacit, quin, nisi tibialia et calceamenta humida protinus exuerit, in colicam incidat. Qua ratione frigus in corpus agat, neminem, qui medicinam primoribus labris degustavit, fugere potest. Spasmum superficiei corporis infert, impetum humorum corporis interiora versus faciens, eosdemque, praeter consuetudinem, in vasis mesentericis accumulans. Quo vero magis quaelibet pars sanguine distenditur, eo magis irritabilis evadit. Rebus autem ita se habentibus, minime mirabile est, spasmos intestinorum gravissimos oriri.

4. *Affectus animi.* Cum hi violenti corpus magnopere exagitent, omnes secretiones et excretiones perturbent, et irrita-

irritabilitatem, quam in corpore offendunt, magis magisque intendant, pro cauſa colicae, praeſertim in corporibus ad hyſteriam proclivibus et perquam mobilibus, non ſine ratione quidem gravi, haberi poſſunt.

5. *Alii morbi.* Morbi quidem numeroſi colicam ſymptomaticam movere conſuerunt, ut vermes inteſtinorum puerilium; arthritis, rheumatiſmus, ſcabies, eryſipelas, &c. retropulſa; menſtrua et lochia ſuppreſſa, dentitio, &c. Ratio, qua agant, nullius explicationis indigere videtur.

CAUSA PROXIMA.

Haec eſt alicujus partis canalis alimentarii contractio abnormis, ſpaſtica. Rem ita ſe habere plane evidenterque teſtantur, ſigna ſupra comprehenſa, quae vix aliunde proficiſci poſſunt; experimenta in corpora animalium viva inſtituta; cadaverum inciſio.

Quantum ad experimenta attinet, Peyerus, anatomicus illuſtris, ranarum adhuc viventium inteſtina locis in diverſis irritanda curavit. Phaenomena ſequentia in conſpectum ſemet dederunt. Inteſtina protinus ſe pertinaciſſime conſtrin-

conſtringebant, contentis huc illuc violenter propulſis, et quaſi in cumulos congeſtis. Quaedam eorundem portiones admodum impletae et diſtenſae, quaedam prorſus inanes et arctiſſime clauſae manſerunt, donec, ſpaſmo fibrarum muſcularium ſoluto, meatus liberior redderetur. Dum inteſtina ſemet hinc inde conſtringebant, et contenta, ſive chylus, ſive faeces eſſent, ſurſum deorſumve diſjiciebant, ſtercus nonnullis in locis accumulatum parietes canalis alimentarii in morem ſaccorum dilatavit. Deinde pars inteſtini ſuperior diſtenſa, et, praeter magnitudinem naturalem, ampliata, partem ejuſdem inferiorem conſtrictam intra ſe recepit, eamque ſinu ſuo abſconditam aliquamdiu retinuit; donec pars incluſa, fibris ſe denuo exporrigentibus, e latibulo alterius rurſus in apricum ſeſe protulit.

Cum autem motus periſtalticus in canali alimentario omnium fere animalium, ut Hallerus affirmat, conſimilis ſit, et alimenta actione ſua reiterata deorſum urgere pergat, nihil hoc experimento pulcherrimo et utiliſſimo, ad cauſam colicae in genere humano proximam exponendam, accommodatius excogitari poteſt. Quicquid luminis ſuper hoc argumento mens veri comperiendi avidiſſima deſiderare valet, id totum ei offudit.

Quantum cadaverum inciſionem ſpectat, quanquam conſtrictiones canalis alimentarii aliarumque partium ſpaſmodicae morte plerumque ſolvuntur; res tamen aliquando longe aliter ſeſe habet. Namque in iis, qui colica infeliciter fuerunt extincti, evidenter repertae ſunt. Hic ad auctoritatem viri docti, nempe De Haen, cui ſumma fides debeat haberi, confugiemus. "Novimus quoque," inquit, "manere quandoque perpetuo has contractiones, tetani in modum, in vita hominum; a morte autem vel ſolvi, ut aliis in tetanis vidimus, vel pertinaciter permanere, ut alias biduo triduove a morte plus ſemel obſervavimus *." Quinetiam alia exempla, ſi ad veritatem cauſae proximae ſupra traditae firmandam neceſſaria forent, aliunde facile poſſent adferri. Modo poſita vero ad omnem dubitationem de re tollendam abunde ſufficient.

QUORUNDAM E SIGNIS EXPLICATIO.

Univerſa ſigna quidem a cauſa proxima, quam ſupra memoraverimus, recta profluunt; et igitur explicationis longae

* Rat. Med. vol. 3. p. 186.

longae et fusae minime indigent. Namque, hac rite intellecta, illa nullis tenebris involvi possunt.

1. *Doloris abdominis.*—Cum colica unum e visceribus abdominis, intestina tenuiora nonnunquam, colon vero ipsum saepius, teneat, dolor ibi, non alibi, sentiatur oportet. Hoc signum quidem non colicae proprium est, sed omnibus aliis abdominis inflammationibus commune. Praecipue circa umbilicum torquet in colica, sed diversam in reliquis abdominis phlegmasiis, si enteritidem solam excipias, sedem habet. Hic saevitiem suam exerceat necesse est, sive colon, quod circulum quasi circa umbilicum facit, sive intestina tenuiora, quae recta subter umbilicum sunt sita, occupaverit.

2. *Vomitionis.*—Quanquam oculis, utrum motus peristalticus necne in animalis intestinis, cui vivo abdomen fuerit patefactum, sursum deorsumve potius dirigatur, non, sine maxima difficultate, possit judicari; eundem tamen, in summa, valetudine commoda substante, deorsum constanter propagari compertum habemus. Si paulum tantum, ut per catharticum lene friguſve leviculum abdomini pedibusve admotum, canalis alimentarius irritetur, hicce motus solummodo acceleratur, et diarrhoea oritur. Si vero potestas stimulantior magisque actuosa intestinis

applicetur,

applicetur, motus, cujus mentio modo facta eſt, inverti periclitatur. Si hoc incidat, ea, quae inteſtinis comprehenduntur, evacuentur, vel vomitio excitetur neceſſe eſt. Haec igitur a motu canalis alimentarii periſtaltico inverſo recta proficiſcitur. Motum hunc ex toto, vel ab ano ad os uſque, inverti non poſſe, et igitur ſtercus ipſum nunquam rejici, quidam enixe contendunt, ſtructura valvulae coli, qua diligenter curioſeque cavendum, ne aliquid in colon ſemel admiſſum unquam in partes canalis alimentarii ſuperiores iterum regurgitaret, natura curaſſe videtur, inducti. In hoc vero magnopere decipi videntur. Namque exempla numeroſa in monumentis medicinae reperiunda ſunt, de quorum veritate, ſine ſumma injuſtitia, ambigi nequit, ubi liquores, e quibus enemata compoſita ſunt, ore fuerunt rejecti. Nemo ſibi in animum unquam induxit negare, motum periſtalticum a loco conſtrictionis inteſtinorum ſpaſmodicae eorundemve coarctationis poſſe inverti. Si pars autem eorum ita affici poſſit, quidnam obſtat, quaeſumus, quominus totus canalis alimentarii tractus eandem ſubeat inverſionem? Denique, fibrae initii coli valvulaeque ejuſdem muſculares non ita validae eſſe videntur, ut impetui hujuſmodi ſemel inchoato obſiſtere poſſint.

3.

3. *Alvi adſtrictae.* Cum colica laborantibus canalis alimentarius concretis tophaceis, coarctatione quae gradatim acceſſit, vel conſtrictione ſpaſmodica, &c. magna ex parte occluſus ſit, cumque, praeterea, motus periſtalticus, ut vomitio, quae in colica graviore nunquam deeſt, clare teſtatur, non parum inverſionis, vel univerſam, ſubierit, ſtercus, uti ſolet, ad inferiora ventris devolvi, et excerni nequit. Rebus ita ſe habentibus, alvus adſtricta ſit oportet. Exempla quidem non deſunt, ubi fuſa eſt. In his vero ex toto abeſt, vel perquam levis vomitio eſt, et reliquae colicae cauſae, ſupra comprehenſae, non plena ſua potentia agunt.

4. *Flavedinis cutis.*—Haec non in omnibus colicae exemplis ſemet oſtendit. Quandocunque vero accedit, a bilis abſorptione plane evidenterque profluit. Cum totus inteſtinorum tractus, et igitur duodenum, hoc in morbo, contractionibus ſpaſmodicis violentiſſimis objiciatur, ſpaſmi fibrarum hujus muſcularium oſtium ductui communi choledocho, qui in hoc hiat, facillime occludere, excretionem bilis impedire, et igitur nonnihil icteri movere poſſunt. Quinetiam ductui ipſi forſitan ſpaſmi poſſunt inferri; quamvis nullas adhuc in eo fibras muſculares detexit culter anatomicus, aut oculus nudus vel armatus.

Fibrae

Fibrae vero non viſae, eaſdem deeſſe, minime demonſtrant. Cur ab anatomicis celeberrimis veſicae felliferae ineſſe conceduntur, et ductibus ab eadem recta proficiſcentibus negantur? Unum, inter legendum, exemplum offendi, ubi, conſtrictionem ductus communis choledochi validam ſpaſmodicam, poſt mortem, repertam fuiſſe, affirmabatur.

PROGNOSIS.

Exitus morborum adeo varii, incerti, et fallaces nonnunquam ſunt, ut finem eorundem pro certo praedicere nequeat medicus ſagaciſſimus. Qui vero in aegrotis nutriendis multum fuit verſatus, is, ſaltem in pleriſque exemplis, qualis eventus ſit futurus, non parum accurate praeſagire poteſt. Longa et diuturna experientia edoctus a multis, quae difficillime vel neutiquam verbis enunciari queunt, prognoſin ſuam deducit. Plus e vultu aegrotantis, e ſecretionibus et excretionibus magis minuſve mutatis, poſitura corporis quam tenet, &c. quam ex hiſtoria longiſſima, diſcere valet. Hoc rite poſſe non tantum

tum plurimum famae ſibi comparat, ſed, ſi finis bonus praeſagiri poſſit, ſummo et aegrotanti et amicis ſolatio eſt. Sin eventus longe diverſus praenuncietur neceſſe ſit, ne familiares miſerandi aegri inani ſpe, quo nihil menti humanae magis ingratum eſſe poteſt, lactentur, cavebit.

Si dolores leviuſculi vagique ſaepius intermittant, magis in colo quam inteſtinis tenuioribus ſedeant; alvus non pertinaciter adſtricta ſit, ſed, cum magno aegri levamine, reſpondeat; cutis ſudore calido madeſcat, nulla pyrexia adſit; urina libere excernatur; ſanguis e naribus, ano, uterove, ſponte profundatur; ſpes ſalutis non parva affulget. Quinetiam ſi morbus ab excretionibus naturalibus et neceſſariis, vel fortuitis, impeditis; ſi ab exanthematis, aliiſve eruptionibus cutaneis, retrocedentibus proficiſcatur; his reſtitutis, ille protinus decedet. Mortem infelici aegroto, contra, intentant, dolor acutiſſimus, fixus, conſtanter urgens; alvus pertinaciſſime adſtricta, vires multum ſubitoque convulſae, animi deliquium, ſubſultus tendinum, delirium; ſudores frigidi e partibus diverſis, praeſertim e fronte, emanantes; vox rauca vel aphonia, ſurditas, tenebrae oculis offuſae, pyrexia, quae ſub initium invaſit, et aegrum, per totum morbi decurſum, infeſtavit. Si ſudor, colica graviter urgente, in univerſum corpus,

pus, viribus admodum imminutis et proſtratis, copioſus ſemet diffundit, Baglivio * judice, paralyſin non longe abeſſe ſignificat. In exemplo hujuſmodi in primis notabile eſt, quod dolor ſolitus, paralyſi ceſſante, redit, praeſertim ſi febris, quae ante ſubfuit, rurſus invadit. Colica nonnunquam, ob gravitatem doloris intolerabilem et immenſam, epilepſiam, affectus ſoporoſos, apoplexiam concitavit.

Alvus interdum, ſponte ſua uſuve enematum, fuſa, ſignis nulla ex parte levatis, efficitur; namque id ſtercoris ſolum, quod infra locum conſtrictionis fuit collectum, evacuatur. Interdum aliquid perquam foetidum, partibus laborantibus gangraena relaxatis, dejicitur, quod ſemper pro ſigno peſſimo habendum.

Vomitio ſtercorea, judicio plurimorum, ad extrema mox ventum iri ſignificat. Res vero non ita ſeſe conſtanter habet; namque exempla non pauca fuerunt, et ea bene nota et accurate inveſtigata, ubi aegroti, poſtquam hoc ſignum in aliquantum temporis graviter urſerat, ex toto fuerunt reſtituti. Si morbus per dies complures perſtitit, aegrotus ad ſanitatem vix poterit reduci; namque non parum metus eſt, rebus ita ſe habentibus, ne inflammatio

* Prax. Med. de Colic. p. 66.

matio oriatur, aut jam orta ſit, quae brevi in gangraenam deſinet. Hanc autem acceſſiſſe teſtantur, dolor ſubito, et ſine cauſa evidente, ceſſans; horrores; pulſus arteriarum frequentes, debiles, exiles, tremuli; ſudores frigidi, ſingultus crebri, aeger mente alienatus, convulſiones, ſyncope.

RATIO MEDENDI.

Conſilia autem medendi optima tria ſequentia eſſe videntur.

I. *Spaſmum variis poteſtatibus antiſpaſmodicis tollere.*

II. *Actionem inteſtinorum purgantibus excitare.*

III. *Ad dilatationem mechanicam confugere.*

Antequam ad remedia, quae hiſce conſiliis accommodentur, depingenda progredimur, notare operae pretium eſſe ducimus, curationem, in omnibus colicae exemplis gravioribus, a miſſione ſanguinis incipere oportere. Haec enim et inflammationi, quae nunquam non timenda eſt, occurrendo, et vi ſua antiſpaſmodica, plurimum proficere ſolet. In debilibus forſitan non convenire exiſtimabitur;

in omnibus vero, quibus vigor etiam modicus insit, et in omni casu, ubi ratio leviſſima eſt, cur inflammationem acceſſiſſe ſuſpiceris, non tantum remedium tutum eſt, ſed etiam ex toto neceſſarium. Ad idem quoque, ſi pulſus arteriarum ſint pleni et duri, ſi ſanguis cruſta coriacea operiatur, ſi detractio prior multum levaminis attulerit, iterum confugere licet. Denique ad hocce remedium toties decurratur, quoties gravitas ſignorum requiret.

Quae remedia *conſilio primo* reſpondent, ea ſunt, calor forma ſicca humidave applicatus, epiſpaſtica, opium, olea leniora.

1. *Calor.*—Hunc forma ſicca corpori applicare apud multos moris fuit. Animalia, quibus adhuc vita fruentibus, thorax et abdomen fuerint patefacta, aut veſicas aqua calida, vel quibuſlibet aliis ſubſtantiis quae calorem diu retinent, impletas, abdomini colica laborantium admoverunt. In vicem horum vero calor, humida forma adhibitus, utpote qui longe potentior et efficacior ſit, ſubſtitui debet. Corpus univerſum parteſve ejus inferiores in aquam calidam immergantur, vel fomenta adhibeantur. Illud his praeſtat, quod aqua majorem corporis partem contingit. Cum vero lavacrum ſaepe, niſi difficillime, non poſſit comparari, vicem ejus fomenta apte praeſtabunt. Hoc commodum

modum habent, quod in uſu eorum, in ſpatium temporis longius, perſtari poteſt. Abdomini et artubus inferioribus eodem tempore admoveantur.

2. *Epiſpaſtica.*—Ad haec frequenter, hoc in morbo, fuit decurſum. Ad ſpaſmos inteſtinorum depellendos in primis accommodari videntur. Si, in momentum, nobiſcum reputemus, quam arctiſſimus nexus integumenta abdominis inter et inteſtina intercedat, facile concipere valebimus, nihil iis et ad ſpaſmos muſculorum abdominis, et ad inteſtinorum proprios, tollendos accommodatius eſſe poſſe. Quam contra hunc morbum efficacia ſint, experientia ſatis demonſtravit. Eidem conſilio rubefacientia quoque, cum ſucceſſu proſperrimo, reſpondent.

3. *Opium.*—Uſus hujus in hoc morbo admodum anceps eſt. Dolorem, qui ſaepe graviſſime urget, in aliquantum temporis haud dubie levare poteſt. Caeterum motum inteſtinorum periſtalticum, contra, adeo retardat, ut ea conſtrictionibus ſpaſmodicis facilius, quam alioquin incideret, corripi pati poſſit. Igitur, quamvis dolorem minuit, cauſam morbi pertinaciorem efficere periclitatur. Hanc ob cauſam, et quod actioni purgantium, quae hoc in morbo tantum proficiunt, adverſatur, multi medici eo inviti utuntur, et quidam uſum ejus, ut pernicioſum, omnino repudiant.

pudiant. Non deſunt tamen, qui ſemet idem cum multo commodo adhibere poſſe opinantur.

Si colica, nulla alvi duritie ſubſtante, accedat, ſi a frigore, affectibus animi, vel qualibet alia cauſa in ſyſtema nervoſum potiſſimum agente, proficiſcatur, opium tuto, et cum levamine, adhiberi poteſt. In exemplis vero, ubi durities alvi diu manſit, vel aeger nihil ſtercoris in tres quatuorve dies excrevit, adeo ut faeces in colo non parva quantitate jam accumulatas eſſe ſuſpicari poſſis, opium nunquam, ante alvum ſolutam, adhibendum. Concedendum tamen eſt, opium, etiam in caſibus id genus, ubi ſpaſmum gravem, ſine inflammatione, ſubeſſe tantum ſuſpicamur, ubi vomitio adeo violenta eſt, ut purgantia ſumi impediat, et dolor, eodem tempore, plurimum moleſtiae aegrotanti faceſſit, effectus potentiſſimos, ut anodynum, et antiſpaſmodicum quoque ad actionem purgantium promovendam admodum neceſſarium, edere poſſe. Memoria vero nunquam excidat, catharticum una cum opio dari, aut id brevi excipere debere. Nonnulli ſuaſerunt, ut in locum hujus ſufficeretur hyoſcyamus, quem naturae morbi, ob vires narcoticas cum purgantibus conjunctas, melius accommodari exiſtimaverunt. Quam utilis ſit, penes experientiam futuram eſto judicium.

4.

4. *Olea leniora.*—Uſus horum, ut et laxantium et antiſpaſmodicorum, liberalis fuit laudatus. Aliquando quidem profuerunt. Cum vero pauciſſimi, etiam valetudine commodiſſima fruentes, multum olei, nauſea graviſſima non excitata, in ventriculum recipere poſſint, quomodo quantitatem huic conſilio neceſſariam, eodem organo perquam irritabili, tolerare valebunt?

Secundo conſilio reſpondent purgantia.—Haec ſemper leniſſima eſſe, et quam minime irritare debent. Hujuſcemodi ſunt, oleum amygdalarum vel olivae, manna, electuarium lenitivum, &c. Huic conſilio quoque ſatis bene reſpondebit cremor tartari, qui abunde purgat, et guſtui non ingratus eſt. Doſibus exiguis, ſed reiteratis, datus rejici non multum periclitatur. Sales medii quoque fuerunt adhibiti; ſed non aeque, ac reliqua purgantia modo comprehenſa, conveniunt; quoniam, propter ſaporem nauſeoſum, vomitione facillime expelli conſuerunt. Oleum ricini, quod nuper in praxin fuit invectum, unum eſt ex efficaciſſimis et leniſſimis, quae tota materia medica habeat, purgantibus. Natura ſua oleoſa, ut antiſpaſmodicum, agit, ſtercus induratum emollit, primas vias lubricat, et acria diverſa, quae canali alimentario continentur, obtundit. Inſuper tormina diminuit et tollit, et vicem muci,

muci, ſi pars quaelibet inteſtinorum eo privatur, reddit. Ob nauſeam vero et vomitionem, quae plerumque in hoc morbo ſubſunt, rejici periclitatur. Sin paululum vini adusti ſpirituſve lavendulae ei adjiciatur, ventriculo facilius ſedebit. Et, cum liquores modo poſiti cum eo non facile poſſint commiſceri, iis aliquantum ſpiritus ſalini aromatici et ſyrupi limoniorum, unde guſtui gratius efficietur, adjungi debet. Cum vero hic morbus ſaepe admodum pertinax ſit, et purgantibus lenioribus parere recuſet, ad magis actuoſa vel draſtica confugiendum eſt, qualia ſunt infuſum ſenae, jalapium in pulverem tenuiſſimum tritura redactum, aloe, &c. Calomelas quoque huic morbo optime accommodari videtur, quoniam non facile rejicitur, et potentiſſime purgat. Doſes e quatuor aut quinque granis conſtantes ſunt dandae, et, ſi non agunt, augendae. Exiguae emeticorum antimonialium portiones tentatae fuerunt. Si ventriculo ſedeant, et per pylorum in inteſtina deſcendant, actionem horum ſatis efficaciter movebunt.

Enemata hoc in morbo plurimum ſolent prodeſſe. Namque totum abdomen fovent, ſpaſmos et dolorem levant, ſtercus emolliunt, ſuperficiem coli et recti internam lubricant, et purganti adjuncta actionem ejuſdem juvant.

Cum

Cum hic morbus inteſtina craſſiora ſaepe teneat, optimos effectus frequenter edunt. Igitur ad ea decurratur, etiam antequam catharticum fuit ſumptum. Praeſtat vero enema et catharticum eodem tempore adhibere, quoniam conjuncta multo potentius agent. Optime reſpondebunt enemata e ſubſtantiis emollientibus et mucilaginoſis compoſita, qualia ſunt decocta radicis altheae, ſeminis lini, vel florum chamomaeli. His nonnihil olei olivae adjiciatur. Haec omnia canalem alimentarium modice ſtimulabunt. Quinetiam eoſdem effectus edunt, juſcula, lac, oleum. Cum haec vero, in exemplis pertinacibus, inteſtina non ſatis ſtimulent, aliquid acrius, ut ſales medios, ſaponem Veneticum, ſenam, &c. illis adjiciamus oportet. Vinum antimoniale quoque in enematis fuit adhibitum. Enemata terebinthinata quoque, ſi rite praeparentur, multum potentiae habent. Ex infuſo nicotianae confecta in uſum aliquando revocata fuerunt. His omnibus incaſſum adhibitis, fumus nicotianae, quam maxima quantitate, in rectum immitti debet. Cum haec omnia nihil profuerunt, aqua frigida artubus inferioribus affuſa actionem inteſtinorum nonnunquam efficaciter excitavit.

Conſilio tertio mox dicenda accommodantur.

Magnae argenti vivi quantitates ad canalem alimentarium dilatandum magnopere conferre fuerunt exiſtimatae. Si inteſtina tubum rectum ab ore ad anum uſque conſtituere etiam poneres, effectus ejus admodum ancipites, vel rebus ita ſe habentibus, mihi viderentur. Cum vero, contra, admodum convoluta ſint, id non tantum pro remedio parum efficace, ſed pro admodum periculoſo, habeo. Ad hoc in exemplo viri nobiliſſimi, poſtremi Duglaſſiae Ducis, qui hoc morbo raptus eſt, fuit decurſum. Cadavere inciſo, mercurius per actionem ventriculi et inteſtinorum et liquores iiſdem proprios in globulos minutiſſimos diviſus repertus eſt, et vix una ejus particula locum conſtrictionis attigerat; et igitur nihil omnino prodeſſe potuerat. Globi ex auro, argento, et plumbo compoſiti eodem conſilio fuerunt adhibiti; ſed eadem, et plura etiam, uſui eorum objici poſſunt.

Ingentem aquae calidae quantitatem in craſſiora inteſtina immittere ad ea mechanice dilatanda optime accommodari videtur, et liquor quoque ipſe poteſtatem relaxantem vel antiſpaſmodicam potentiſſimam habet. Aqua ſit tam calida, quam aegrotus ferre poteſt, et ope magni ſyphonis, et fluento continuo, in rectum injiciatur.

Si

Si morbus a cibo flatulento concoctuque difficili, in ventriculum et inteſtina recepto, proficiſcatur, haec illo, cum primum fieri poteſt, liberentur. Sin dolor levior ſit, et a defectu toni fibrarum inteſtinorum muſcularium ſolo oriri videatur, ad aliquid, quod tonum reſtituere valebit, decurrendum eſt. Vinum calefactum, cui aliquod aroma fuit adjunctum, vel vinum aduſtum conſilio reſpondebit. Medicamenta, quae carminativa appellantur, et ſimilia, idem praeſtabunt.

Quaelibet acria in canali alimentario prius corrigenda ſunt, et deinde e corpore expellenda. Cum acidum in ventriculo dominatur, quale tantum moleſtiae infantibus faceſſere conſuevit, abſorbentia ſunt adhibenda, pulvere rhabarbari prius dato, vel iiſdem adjuncto. Eundem effectum edit magneſia, cui aliquantum aromatis alicujus grati fuit additum. Quicquid fermentationem ſiſtit, id idem praeſtabit, ut liquores ſpirituoſi quilibet, ſpiritus ſulphuris per campanam, olea expreſſa &c. Tantum vero horum, quantum hunc effectum edet, adhibere non poſſumus. Anodyna quoque proficiunt, qualia ſunt olea eſſentialia, ſpiritus vinoſus, camphora ſoluta, aether vitriolicus, extractum hyoſcyami, oleum animale. Opium quoque contra inflationem efficax eſſe a quibuſdam exiſtima-

tur. Haec quoque in uſum revocare poſſumus, quae ſanguinem in corpus univerſum aequaliter diffundunt, qualia ſunt fricti̇o &c. Auxilio quoque erunt ea, quae ſudorem movent; quae ſpaſmum ſuperficiei vincunt, ut ſanguinis detracti̇o; quae dolorem in aliqua parte vicina excitant, ut epiſpaſtica, cucurbitulae ſiccae abdomini admotae &c.

Si morbus a menſtruis retentis vel ſuppreſſis pendeat, facere ut ea rite proveniant in eum maxime poterit. Quae menſtruis, pro conſuetudine, non purgantur, eae remediis ſequentibus, ſanguinis detracti̇one, diluentibus, enematis emollientibus, laxantibus, opiatis, balneo tepido, vaſa relaxent, dolores levent, ſpaſmos conſopiant.

Si febris intermittens hunc morbum fecerit, cortex Peruvianus, cujus ſingulis doſibus pauculae laudani guttae ſunt adjiciendae, alvo prius per enema emolliens laxanſve ſoluta, aegrotum brevi nonnunquam reſtituit.

In colica hyſterica, primae viae doſibus aloes dulciſque mercurii, ante omnia alia, ſunt purgandae. Deinde ea ſunt adhibenda, quae in nimiam ſyſtematis nervoſi ſenſilitatem poſſunt, qualia ſunt vinum calefactum, cui nonnihil cinnamomi nuciſve moſchatae additum eſt; caſtoreum, camphora, alkali volatile, aqua pulegii e qua aliquantum aſaefoetidae fuit diſſolutum, moſchus, aether,

pediluvium.

pediluvium. His omnibus vero praeſtat opium, praeſertim ſi vomitio bilioſa invaſit. Haec aliquando adeo violenta eſt, ut nullum medicamentum ore poſſit ſumi. Cum hoc incidit, ad enemata anodyna confugiendum eſt. Vomitu ceſſante, alvus aloe &c. ſolvenda eſt. Curationem abſolvent doſes aloes et aſaefoetidae. Si vero aegra ſit plena, et dolores graviter urgeant, optimum remedium eſt ſanguinis detractio, ad quam ſine mora confugi debet.

PROPHYLAXIS.

Quicunque, ne morbus recidivus fiat, cavere cupit, is omnes cauſas remotas, de quibus ſupra fuſe diſſeruerimus, curioſe diligenterque vitandas curet. Alvum elixire ſacro remediove ſimili perpetuo ſolutam teneat. Vires corpori omni ratione comparare ſtudeat. Igitur exercitationem, quae ſemper citra defatigationem eſſe debet; lavationem ex aqua frigidiſſima, quae vires convulſas mirum in modum reficit; tonica et ſtimulantia, qualia ſunt cortex Peruvianus, e ferro praeparata, amara, vinum meracum,

cum, generoſum, adſtringens, nunquam neglectui habeat. Affectibus animi ita perpetuo moderetur, ut imperium in eum nullo tempore teneant. Diaetam talem, qualis facile concoquitur nihilque inflationis movere periclitatur, conſtanter adhibeat. Denique ſemet adverſus frigus, quod omnium ei longe inimiciſſimum eſt, calceamentis firmis veſtimentiſque calidioribus, quam maxime tutum efficere, aſſidue et pro virili contendat. Quicunque horum ſimiliumque, omni tempore, rationem attentus habebit, ei ſaevitiam morbi, in poſterum, nunquam iterum experiri fortaſſe continget. E memoria vero ei nunquam excedat, quo ſaepius morbo fuerit colluctatus, ſe ei magis patere, et igitur ſua quam maxime referre, contra eum, tanquam contra hoſtem potentem, formidoloſum et fallacem, prudenter, enixe, conſtanter pugnare.

FINIS.